AD VESPERAS.

¶ In diebus dominicis Antiph. Dixit dominus. Psal. Sed in diebus dominicis à Pascha, vsq; ad Pentecostes, etiam in ferialibus diebus dicuntur omnes quinque psalmi, sub vna Antiph.

Psalmus. 109.



DIxit dominus domino meo: sede à dextris meis.

Donec ponam inimicos tuos, scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet dominus ex Syon dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ: in splendoribus sanctorum, ex vtero ante luciferum genui te.

Iurauit dominus, & non pœnitebit eum: tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dñs à dextris tuis: confregit in die iræ suæ reges.

Iudicabit in nationibus, implebit ruinas: conquaſſabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibit: propterea exaltauit caput.

Gloria patri, & filio, & Spiritui ſancto, &c.

Antiph. Dixit dominus domino meo: ſede à dextris meis. Antiph. Fidelia omnia mandata, &c.

Pſalmus 110.

Confitebor tibi domine in toto corde meo: in conſilio iuſtorum, & congregatione.

Magna opera domini: exquiſita in omnes voluntates eius.

Confeſſio, & magnificentia opus eius: & iuſtitia eius manet in ſæculum ſæculi.

Memoriam fecit mirabilium ſuorum, miſericors, & miſerator dominus: eſcam dedit timentibus ſe.

Memor erit in ſæculum teſtamenti ſui: virtutem operum ſuorum annunciabit populo ſuo.

Vt det illis hæreditatem gentium: opera manuum eius veritas, & iudicium.

Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi: facta in veritate, & æquitate.

Redemptionem miſit dominus populo ſuo: mandauit in æternum teſtamentum ſuum.

Sanctum, & terribile nomen eius: initium ſapientiæ timor domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum: laudatio eius manet in ſæculum ſæculi.

Gloria patri, & filio, & Spiritui ſancto, &c.

Antiph. Fidelia omnia mandata eius, confirmata in ſæculum ſæculi. Antiph. In mandatis.

Psalmus. 111.

BEatus vir, qui timet dominum, in mandatis eius volet nimis.
Potens in terra erit semen eius: generatio rectorum benedicetur.
Gloria, & diuitiæ in domo eius: & iustitia eius manet in sæculum sæculi.
Exortum est in tenebris lumen rectis: misericors, & miserator, & iustus.
Iucundus homo, qui miseretur, & commodat: disponet sermones suos in iudicio: quia in æternum non commouebitur.
In memoria æterna erit iustus: ab auditione mala non timebit.
Paratum cor eius sperare in domino, confirmatum est cor eius: non commouebitur donec despiciat inimicos suos.
Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in sæculum sæculi: cornu eius exaltabitur in gloria.
Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet, & tabescet: desiderium peccatorum peribit.
Gloria Patri, & Filio, & spiritui sancto, &c.
Antiph. In mandatis eius cupit nimis. Antiph. Sit nomen domini. Psalmus. 112.

LAudate pueri dominũ: laudate nomen domini.
Sit nomen domini benedictum: ex hoc nunc, & vsque in sæculum.
A solis ortu vsque ad occasum: laudabile nomen domini.
Excelsus super omnes gentes dominus: & super

cœlos gloria eius.
Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat: & humilia reſpicit in cœlo, & in terra?
Suſcitans à terra inopem, & de ſtercore erigens pauperem.
Vt collocet eum cum principibus: cum principibus populi ſui.
Qui habitare facit ſterilem in domo: matrem filiorum lætantem.
Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c.
Antiph. Sit nomen domini benedictum, in ſæcula.
Antiph. Nos qui viuimus.

Pſalmus. 113.

IN exitu Iſrael de Aegipto: domus Iacob de populo Barbaro.
Facta eſt Iudęa ſanctificatio eius: Iſrael poteſtas ei⁹.
Mare vidit, & fugit: Iordanis conuerſus eſt retrorsũ.
Montes exultauerunt, vt arietes: & colles ſicut agni ouium.
Quid eſt tibi mare, quod fugiſti? & tu Iordanis, quia conuerſus es retrorſum.
Montes exultaſtis ſicut arietes: & colles ſicut agni ouium.
A facie domini mota eſt terra: à facie Dei Iacob.
Qui conuertit petram in ſtagna aquarum: & rupem in fontes aquarum.
Non nobis domine, non nobis: ſed nomini tuo da gloriam.
Super miſericordia tua, & veritate tua: ne quando dicant gentes, vbi eſt Deus eorum?

D eus autem noster in cœlo : omnia quæcunque voluit fecit.

S imulacra gentium,argentum,& aurum:opera manuum hominum.

O s habent, & non loquentur:oculos habent,& non videbunt.

A ures habent, & non audient : nares habent,& non odorabunt.

M anus habent, & non palpabunt, pedes habent, & non ambulabunt:non clamabunt in gutture suo.

S imiles illis fiant,qui faciunt ea : & omnes,qui confidunt in eis.

D omus Israel sperauit in domino : adiutor eorum, & protector eorum est.

D omus Aaron sperauit in domino : adiutor eorum, & protector eorum est.

Q ui timent dominum,sperauerunt in domino : adiutor eorum,& protector eorum est.

D ominus memor fuit nostri : & benedixit nobis.

B enedixit domui Israel: benedixit domui Aaron

B enedixit omnibus, qui timent dominum : pusillis cum maioribus :

A dijciat dominus super vos : super vos, & super filios vestros.

B enedicti vos a domino : qui fecit cœlũ, & terram.

C œlum cœli domino : terram autem dedit filijs hominum.

N on mortui laudabunt te domine : neque omnes, qui descendunt in infernum.

S ed nos qui viuimus,benedicimus domino: ex hoc,

nunc & vsque in sæculum.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, &c.
Antiph. Nos qui viuimus benedicimus domino.
Tempore Paschali. Antiph. Alleluia, Alleluia, Alleluia.
Capitulum.
BEnedictus Deus, & pater domini nostri Iesu Christi: pater misericordiarum: & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.
Hymnus.
LVcis creator optime: Lucem dierum proferēs.
Primordijs lucis nouę, Mundi parans originem.
Qui mane iunctum vesperi, Diem vocari præcipis;
Tętrum chaos illabitur: Audi preces cum fletibus.
Ne mens grauata crimine, Vitæ sit exul munere.
Dum nil perenne cogitat, Seseque culpis illigat.
Cœlorum pulset intimum, Vitale tollat pręmium.
Vitemus omne noxium, Purgemus omne pessimū.
Præsta pater, &c. ℣. Dirigatur domine oratio mea.
℟. Sicut incensum in conspectu tuo.
Præscriptus Hymnus cum ℣. dicitur à dominica post octauam Epiphaniæ, vsque ad Dominicam Quadrag. & ab octaua Pent. vsque ad Aduentum.
Canticum Beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1.
MAgnificat anima mea dominum.
Et exultauit spūs meus: in deo salutari meo.
Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.
Quia fecit mihi magna, qui potens est: & sanctum nomen eius.

Et misericordia eius à progenie in progenies: timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede: & exaltauit humiles.

Esurietes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum: recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in sæcula.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, &c.

Et hic dicitur in dominicis ad vesperas, quando nullum fuerit festum. Cum vero festum aliquod fuerit semper post. Laudate pueri dominum, &c. dicitur vnus ex istis.

Psalmus. 116.

Laudate dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia eius, & veritas domini manet in æternum.

Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, &c.

Psalmus. 115.

Credidi propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: omnis homo mendax.

Quid retribuam domino, pro omnibus, quæ retribuit mihi.

Calicem salutaris accipiam, & nomen domini inuocabo.

Vota mea domino reddam, coram omni populo

eius, preciosa in conspectu domini mors sanctorum eius.
O domine quia ego seruus tuus: ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ.
D irupisti vincula mea: tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen domini inuocabo.
V ota mea domino reddam, in conspectu omnis populi eius: in atrijs domus domini in medio tui Ierusalem.
G loria patri, & filio, & spiritui sancto, &c.
Psal. Memento domine Dauid. vt supra.
¶ In Apostolis, & Euangelistis semper in secundis vesperis dicitur. D ixit dominus, &c. L audate pueri, &c. C redidi, &c. I n conuertendo, &c. vt supra Psalmus. 138.
DOmine probasti me, & cognouisti me: tu cognouisti sessionem meam, & resurrectionem meam.
I ntellexisti cogitationes meas de longe: semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.
E t omnes vias meas præuidisti: quia non est sermo in lingua mea.
E cce domine tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua; tu formasti me, & posuisti super me manum tuam.
M irabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, & non potero ad eam.
Q uo ibo à spiritu tuo: & quo à facie tua fugiam?
S i ascendero in cœlum tu illic es: si descendero in infernum ades.

S i sumpsero pennas meas diluculo : & habitauero in extremis maris.

E tenim illuc manus tua deducet me : & tenebit me dextera tua.

E t dixi forsitan tenebræ conculcabunt me : & nox illuminatio mea in delictis meis.

Q uia tenebræ non obscurabuntur à te : & nox sicut dies illuminabitur : sicut tenebræ eius ita, & lumen eius.

Q uia tu possedisti renes meos : suscepisti me de vtero matris meæ.

C onfitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es: mirabilia opera tua, & anima mea cognoscet nimis.

N on est occultatum os meum à te, quod fecisti in occulto : & substantia mea in inferioribus terræ.

I mperfectum meum viderunt oculi tui, & in libro tuo omnes scribentur, dies formabuntur, & nemo in eis.

M ihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus: nimis confortatus est principatus eorum.

D inumerabo eos, & super arenam multiplicabuntur: exsurrexi, & adhuc sum tecum.

S i occideris Deus peccatores: viri sanguinum declinate à me.

Q uia dicitis in cogitatione ? accipient in vanitate ciuitates suas.

N onne qui oderunt te domine, oderam : & super inimicos tuos tabescebam ?

P erfecto odio oderam illos, & inimici facti sunt mihi.

P roba

Proba me Deus, & ſcito cor meum: interroga me, & cognoſce ſemitas meas.

Et vide, ſi via iniquitatis in me eſt: & deduc me in via æterna.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c.

¶ In feſto Angelorum poſt. Laudate pueri dominum, &c. dicitur Confitebor tibi domine in toto corde meo: quoniam audiſti, &c. vt ſupra.

AD COMPLETORIVM.

A lectore dicitur.

IVbe domine benedicere. Benedict. Noctem quietam, & finem perfectum, concedat nobis dominus omnipotens. ℟. Amen.

Capitulum.

FRatres ſobrij eſtote, & vigilate: quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem deuoret: cui reſiſtite fortes in fide. Tu autem, &c. ℣. Adiutorium noſtrum in nomine domini. ℟. Qui fecit cœlum, & terram. Et dicitur. Pater noſter, &c. Totus in ſilentio. Deinde abſolute fit confeſſio cõmunis alternatim, vt ſupra in prima. Et facta abſolutione dicitur. ℣. Conuerte nos Deus. ℣. Deus in adiutorium meum intende. ℟. Domine ad adiuuandum me feſtina. Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c. Antiph. Miſerere. Vel Alleluia. Pſalmus 4.

CVm inuocarem exaudiuit me Deus, iuſtitiæ meæ: in tribulatione dilataſti mihi.

Miſerere mei: & exaudi orationem meam.

Filij

Filij hominum vſquequo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

Scitote quoniam mirificauit dominus ſanctum ſuum: dominus exaudiet me, cũ clamauero ad eum.

Iraſcimini, & nolite peccare: quæ dicitis in cordibus veſtris, & in cubilibus veſtris compungimini.

Sacrificate ſacrificium iuſtitiæ, & ſperate in domino: multi dicunt, quis oſtendit nobis bona?

Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui domine: dediſti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti vini, & olei ſui: multiplicati ſũt.

In pace in idipſum: dormiam, & requieſcam.

Quoniam tu domine ſingulariter in ſpe: conſtituiſti me.

Gloria patri, & filio, &c. Pſalmus. 30.

IN te domine ſperaui, non confundar in ęternum: in iuſtitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam: accelera, vt eruas me.

Eſto mihi in Deum protectorem, & in domum refugii vt ſaluum me facias.

Quoniã fortitudo mea, & refugium meum es tu: & propter nomen tuum deduces me, & enutries me.

Educes me de laqueo, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo ſpiritum meum: redemiſti me domine Deus veritatis.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c.

Pſalmus. 90.

QVi habitat in adiutorio altiſſimi: in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet domino susceptor meus es tu: & refugium meum, Deus meus sperabo in eum.
Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium: & à verbo aspero.
Scapulis suis obumbrabit tibi: & sub pennis eius sperabis.
Scuto circundabit te veritas eius: non timebis à timore nocturno.
A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incursu, & demonio meridiano.
Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis: ad te autem non appropinquabit.
Veruntamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis.
Quoniam tu es domine spes mea: altissimum posuisti refugium tuum.
Non accedat ad te malum: & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.
Quoniam angelis suis mandauit de te: vt custodiant te in omnibus vijs tuis.
In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.
Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.
Quoniam in me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam cognouit nomen meum.
Clamauit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eũ.
Longitudine dierum replebo eum: & ostendam illi salutare meum.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c.

Pſalmus. 132.

ECce nunc benedicite dominum: omnes ſerui domini.

Qui ſtatis in domo dñi: in atrijs domus Dei noſtri.

In noctibus extollite manus veſtras in ſancta: & benedicite dominum.

Benedicat tibi dominus ex Syon: qui fecit cœlum, & terram.

Gloria patri, & filio, & ſpiritui ſancto, &c.

Antiph. Miſerere mihi domine, & exaudi orationem meam. Tempore Paſchali Añtiph. Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Hymnus.

TE lucis ante terminum, Rerum creator poſcimus. Vt ſolita clementia, Sis præſul ad cuſtodiam.

Procul recedant ſomnia; Et noctium phantaſmata, Hoſtemque noſtrum comprime. Ne polluantur corpora.

Præſta pater omnipotens: Per Ieſum Chriſtum dominum. Qui tecum in perpetuum, Regnat cum ſancto ſpiritu. Amen.

Capitulum.

TV autem in nobis es domine, & nomen ſanctum tuum inuocatum eſt ſuper nos, ne derelinquas nos domine Deus noſter. ℣. In manus tuas domine commendo ſpiritum meum. ℟. Redemiſti nos domine Deus veritatis. Commendo, &c.

Gloria patri, &c. ℣. Cuſtodi nos domine vt pupillam oculi. ℟. Sub vmbra. Añã. Salua nos.

Can-

Canticum Simeonis.

NVnc dimittis seruum tuum domine, secundum verbum tuum in pace.
Quia viderunt oculi mei: salutare tuum.
Quod parasti ante faciem: omnium populorum.
Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.
Gloria patri, & filio, & spiritui sancto, &c.

Antiph Salua nos domine vigilantes, custodi nos dormientes: vt vigilemus cum Christo, & requiescamus in pace. Deinde Kyrie eleison, Christe eleison. Kyrie eleison. Pater noster. Secreto. ℣. Et ne nos, &c. ℟. Sed libera, &c. Credo in Deum. Secreto. ℣ Carnis resurrectionem. ℟. Vitam æternam. Amen. ℣. Benedictus es domine Deus patrum nostrorum. ℟. Et laudabilis, & gloriosus in sæcula. ℣. Benedicamus Patrem, & Filium cum Sancto Spiritu. ℟ Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula. ℣. Benedictus es domine in firmamento cœli. ℟. Et laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. ℣ Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors dominus. ℟. Amen. ℣. Dignare domine nocte ista. ℟. Sine peccato nos custodire. ℣. Miserere nostri domine. ℟. Miserere nostri. ℣. Fiat misericordia tua domine super nos. ℟. Quemadmodum sperauimus in te. ℣. Domine exaudi orationem meam. ℟. Et clamor meus ad te, veniat. ℣. Dominus vobiscum. ℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

Visita

Visita quæsumus domine habitationem istam & omnes insidias inimici ab ea longe repelle, Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, & benedictio tua sit super nos semper. Per, &c. ℣. Dominus vobiscum. ℣. Benedicamus domino. ℟. Deo gratias. Benedictio. Benedicat, & custodiat nos omnipotens, & misericors dominus: Pater, & Filius, & Spiritus sanctus. ℟. Amen.

Deinde dicitur, vel Salue regina, &c. vt supra, vel ab Aduentu, vsque ad dominicam Quadrag.

Alma redemptoris, mater, quæ peruia cœli porta manens, & stella maris, succurre cadenti. Surgere, qui curat populo; tu quæ genuisti. Natura mirãte tuum sanctum genitorem, Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore Sumens illud aue peccatorum miserere.

Et à Dominica quinquagesima, vsque ad quartam feriam maioris hebdomadæ.

Ave regina cœlorum, aue domina angelorum. Salue radix, & porta, ex qua mundo lux est orta: gaude gloriosa, super omnes speciosa, vale valde decora, & pro nobis semper Christum exora. ℣. Ora pro nobis. Tempore Resurrectionis dicitur. Regina cœli, &c.

LAVS DEO.

GENVAE.
Apud Iosephum Pauonem. MDXCVIII.


INRI